

tinerent, ipsi cederent: in reliquis se se regi satis libera-
liter permittebat: per eos qui rebus Gallicis Cardinales
favebant, conscripta & obsignata ad illum misit. Paulo-
que post vocatis ad se legatis Ferdinandi & reipublicæ eis
dixit, ne propter ea quæ fecisset perturbarentur, ne ve se
priore contra Gallos voluntate ulla ex parte matatum
crederent: invitum enim ad id descendisse fallendi & con-
sopiendi regis causa. Quibus intellectis rebus Patres scive-
runt, Julio scribi oportere: si cum Aloisio fœdus facere
statuerit, se non recusare, dum in eo rempublicam inclu-
dat, sōciamque fœderis efficiat. Guidum Rangonium post
hæc, qui e Gallorum custodia se redemerat, ad urbem
venientem Patres amanter exceperunt, & præfectum equi-
tum gravis armaturæ fecerunt: ejusque fratri Joanni Fran-
cisco, qui cum eo venerat, equitum leviorum præfectura
item tradita.

Romæ ad diem tertium nonarum maji Concilium cele-
brari cœptum est ab Julio in templo Lateranensi magna
sacerdotum frequentia, precesque Deo Optimo Maximo,
ut vota hominum rite nuncuparentur, factæ. Marco Car-
dinali Seduno, Venetiis qui erat, ad suos abeunti argen-
tum in mensam dono a Patribus datum. Cum Henrico
autem rege Britanniæ fœdus a sociis atque a republica
initum, XV. cal. junias in urbe celebratum est: con-
cupivit enim rex petiitque se in eo recipi. Illis diebus
Julius Vitellius Tifernatum Episcopus, qui conditioni-
bus acceptis Ravennæ arcem Gallis obſidentibus tradide-
rat, eo cum copiis ad expugnandam illam rediens, tradi-
tis conditionibus recepit. Oppidani cladis suæ contra jus
contra fas acceptæ memores, quatuor Gallorum præfectos
in arce qui fuerant, fide non servata vivos sepelierunt cer-
vicibus supra terram extantibus. Julii & Ferdinandi le-
gati, itemque duo civitatis magistratus, Leonardus Mo-
cenicus, Nicolaus Bernardus, Helvetiis se ad bellum con-
tra Gallos comparantibus ex urbe profecti cum auri libris
CXX. ad illos se contulerunt cohortandi & juvandi eos
causa. Ii se Veronam Maximiliani præfectis libentissimis

Conciūm
Lateranens-
se.